

## PARODIA CATULLIANA

Catullus ille, quem videtis, hospites,  
ait fuisse vatum improbissimus,  
neque ullius canentis impetum viri  
nequisse præterire, sive iambicis.  
opus foret volare, sive distichis  
Et hoc negat dicacis Lesbiæ suæ  
negare verba, nuptiasve Thessalas  
Furiumve nobilem horridumque Memmium  
Iuventium, trucemve Cæsarem ducem,  
cui iste post amicus antea fuit  
flagellum acre: nam celebre in caput  
procace sæpe sibilum edidit stilum.  
Mamurra formiane, Magne et socer,  
tibi hæc fuisse et esse cognitissima  
ait Catullus; florida ex origine  
tuo inusse turpe nomini scelus,  
tua imbuisse impudicitia stilum,  
et inde tot per insolentia joca  
tulisse carmen, acre sive leniter  
vocaret Musa, sive utrumque Delius  
simul secundus incidisset in pedem;  
neque ulla vota pegaseiis diis  
sibi esse facta, nam necesse nil erat.  
Sed hæc prius fuere: nunc recondita  
senet quiete, seque dedicat tibi,  
Apollo auree et Camena aurea.

MARÍA ROSA LIDA.